

F.K.71.

21

Z f  
5480

M E M O R I A  
V I R I  
AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI QVE  
**CAROLI GOTFRIDI**  
**WINKLERI**

I. V. D O C T O R I S

IN CVRIA SVPREMA LIPSIENSI ET CONSISTORIO REGIO  
PATRONI CAVSSARVM ORDINARII ET SENATORIS AEDILITII  
CIVITATIS LIPSIENSIS

A. D. XIX. MAI. A. C. CICDCCCLVIII.

REBUS HUMANIS EXEMTI

CIVIBVS ACADEMIAE LIPSIENSIS

C O M M E N D A T A

A

R E C T O R E  
ACADEMIAE LIPSIENSIS.



A B I O N E M  
I U L Y  
A C T A  
C O M M U N I C A T I O N I  
C A R O L I G O T H R I O I  
P R E M I U M

2. A I D E O . M I



In institutis Civitatum nobilissimarum hoc positum reperimus fuisse, vt in honoribus tribuendis praeципua ratio duceretur eorum, qui a nobilitate, hoc est, vt *Aristoteles* bene definit, antiqua generis virtute et opulentia (*Polit. IV, 8.*) commendarentur: non vt ceterorum virtus et industria ab eorum spe et aditu profus submoueretur: eset enim indignum, et reipublicae parum salutare: sed quod et aequitatis ratio illis magis suffrageretur, et maior ac certior, vt in rebus humanis, reipublicae bene gerendae ac fortior defendendae spes in illorum nobilitate, quam in ceterorum nouitate, ostenderetur. In quo ne vanae opinio[n]is leuitatem, aut stultam nominum imaginumque admirationem plus, quam rem et veritatem, valuisse putemus, nouorum hominum apud Gracos Romanosque, et Philosophorum ipsorum, auctoritas impedit videtur, qui eam consuetudinem non modo non tolli de republica voluerunt, sed etiam, vt partem disciplinae publicae, bene constitutae, conferuandam existimarunt. Ac profecto si causa haec agenda sit nobilitati, tot tamque bonis argumentis eam possit defendere, vt, nisi ei nimis obster inuidia, haud dubie vincere debere videatur.

Ac primum, quamquam leue videatur, quod dicturus sum, praerermitti tamen non debet: natura ipsa nos imbuat ad omnis, etiam in rebus sensu vitaque parentibus, nedum humanis, antiquitatis venerationem. Τιμωτατον τὸ πρεσβύτατον, honoratissimum est antiquissimum, verissime ait Philosophus (*Met. I, 3.*) In arcibus principum magis venerabundi intuemur vetustatem integrum, quam magnificissimam nouitatem, et in maiori honore esse solet arboris procerae et annosae etiam mediocris secunditas, quam iunior et bonis succis lascivientis felix libertas. Quanto magis consentaneum est, veterem virtutem, eiusque etiam non maximas reliquias, in honoris delectu praeferrri virtuti recenti, cuius qualis vis futura sit in posterum, ignoretur? Nam vt in arboribus repentina fertilitas raro diuturna est, sic in humili et obscuro genere, si quis excellentius quid effert, rarissime ad posteros noua bonitas propagatur. Atque etiam si volemus de nouis hominibus recordari,

## 1111

dari, quos antiquitas tradit ad summa peruenisse, et nobilitatem familiae suae intulisse, reperiemus, plerosque non nimis bonis artibus ad eum gradum esse enilos, nec tam innocentiae quam potentiae exemplum iis, qui ex se nascerentur, reliquise. Omnino raro, etiam in nobilitate, ad honores magnos adscenditur, nisi per aliquam ingenium virtutum pariter atque viorum mixturam, nedum ab his, qui ad eos tanto difficultius se adscendere posse intelligent, quanto longius absint ab nobilitatis splendore. In Atheniensi quidem republica, quicunque nulla nobilitatis suae suffragatione principes Ciuitatis facti sunt, vitorum magis quam virtutum magnitudine eo, quo contendenter, peruenere: Romae autem de ignobili genere vix quemquam, praeter Catonem Censorium et Ciceronem, solis bonis artibus et adeptos esse summos honores et tuitos reperimus.

Quod si in honoribus accipiendois rerum bene gestarum praemium, in mandandis autem gratus aduersus bene meritos animus cernitur: profecto et nobilitas in petendo iustam quandam mercedem postulat, et in tribuendo, quod maiorum meritis debetur, persoluitur. Neque enim, qui bene de republica, consulendo, vigilando, laborando, merentur, aut in breve modo vita sua tempus profunt, non etiam posteritate amplectuntur, aut sibi pro curis, laboribus, odiis, periculis, reipublicae causa suscepitis, satisfactum putant honoris sui breuitate, et non de suis meritis aliquid ad posteros suos volunt redundare, quorum felicitatem animis a spe praecepient, et ad se vel maxime pertinere putant. Profecto ut, qui rem priuatam bene gerunt, non sua modo causa laborant, sed etiam, arque adeo multo magis, liberorum atque nepotum, quos vel maxime cupiunt suis laboribus ac fudoribus frui: ita qui rempublicam bene gerunt, et si maxime ipsam rempublicam et officium sequuntur, tamen et liberis suis in posterum se prospicere et putant et volunt, et vero etiam debent: praefertim cum etiam in iis sit aliqua reipublicae pars, quae parentibus ad tuendum atque ornandum etiam diuinus est commendata. Cicero quidem, homo nouus, et interdum non satis aequus nobilitatis voluntati vindicandorum sibi honorum, (*Agrar. II. 1.*) tamen dignitatem generis in ornamentis numerat, quibus fretum ad Consulatus petitionem accedere par sit (*Muren. 7.*) nec reprehendit Seru. Sulpicius, quod etiam nobilitate dignitatem candidati se simet, sed quod nobilitatem Murenae contemnet, et postquam Consulatum et nobilitatem generi suo intulerat, ipse filio suo petebat, et sperabat, quae alii nobiles talium parentum causa postulabant: *Commendo, inquit (Catil. IV. extr.) Vobis parvum meam filium: cui satis erit praefidii non modo ad salutem, sed etiam ad dignitatem, si eius, qui haec omnia suo solus periculo conseruerit, illum esse filium memineritis.* Neque ea aut iniusta aut irrisa fuit spes patris. Nam filius, quamquam nihil de paternis bonis habuit, praeter ingenium, tamen per omnes honorum gradus ad Consulatum peruenit: atque ita patri etiam mortuo suum tributum est. Υπέρ τοι γάρ πατρός σύδρα εἰστούσας, διανιώ τάυτην τηλεθύετες μηλονομούσι, ait Lycurgus Orator (*c. Leocrat. c. 20.*) *pro qua patria tantopere laborarunt, eam iure suo etiam mortui obtinent.* Sed non alter mortui patriam, nisi per liberos nepotumque honores et felicitatem, possunt obtainere.

Et ne res aequitatis modo honestate defendi, non etiam utilitatis publicae fructu commendari poterit, in cuius consertione non minor aequitas intelligitur: ita multis et magnis utilitatibus institutum hoc tenetur, ut non ab aequitate praeceptum atque sanctum, sed ab ipsa utilitate repertum ac traditum videatur. Nam cum

cum ab ipsa natura sui cuique liberi et posteri ad curam commendentur, vt ante diximus, profecto, vi in re familiaris querenda et augenda, sic in re publica tuerenda et bene gerenda stinjulus acerrimus est, quem spes fructus, ad liberos atque nepotes redundatur, admouet animis. Itaque si iis, qui in republica multis cum laboribus, vigiliis, molestiis, saepe etiam periculis et inimicitiis, administranda versantur, nihil talis spei offenderetur, omnis meritorum fructus aut gratia cum ipsis moreretur: et si magis publica, quam priuata utilitate moueri debent viri boni: tamen, vt sunt homines, vix sustinerent, otium suum ac commodum relinquere, vt publico seruirent, nec tot se laboribus frangerent, nec totam vitam molestiis opplexerint. Nunc, cum cuius corum insidet spes illa, se, bene de republica merendo, certum et perpetuo manutinum patrimonium liberis et posteris suis querere, tanto alacrius et laetus pro republica laborant, et laborum molestiam etiam posteritatis suae cogitatione lenient.

Quamquam in illis ipsis, in quibus talis est, e maiorum honoribus, opibus ac meritis, nobilitas, magna est reipublicae bene sperandi materies. Quo modo enim non melius speret de iis, quorum amoris erga se, ac studii, et fidei, multa et magna pignora habet? quae aut parua et pauca, aut nulla sunt in ceteris. Latini viros bonos eosdem vocarunt, et qui sunt locupletes ac bene de re familiaris constituti, et qui fidem publice priuatimque seruare didicerunt: non temere et casu, vt saepe fit in verbis communicandis, sed ratione et consilio. Etenim vt ad fraudem illecebra maximus est in ipsis egestate: cum saepe videamus, non modo eos, qui nunquam viri boni fuerint, sed etiam, qui in eo numero habitu sint, cum, vel culpa sua, vel aduersa aliqua fortuna, ad inopiam reciderint, ad omne genus fraudis praecepites ferri: sic fidei vinculum haud paruum est in bona copia, quae et non necessariam ac supervacuum fraudem facit, et fidem non modo necessitate adstringit, sed etiam utilitate commendat. Atque etiam natura hoc fert, vt homines ita magis ament patriam, vt magis multis et magnis bonis in ea fruantur, quod eius felicitate suam contineri, eaque affligenda et vexanda se quoque affligi, et bona sua vexari ac lacerari vident. Vnde fit, vt ei magis faueant ac bene cupiant, eius bonis laetentur, malis sollicitentur, et in eius salute atque utilitate tuendu libentius et acris laborent. Cicero quidem, in Sextiana, in iis, qui malis publicis pascantur, gaudent periculis et incommodeis, ipsis hostilibus patriae faueant, eorumque victorias paene ducant suas, hoc est, in hostibus patriae domesticis, sub ciuium persona latentibus, numerat non modo nocentes, et natura improbos, sed etiam rebus domesticis impeditos, in viris autem bonis, et patriae, communisque salutis et utilitatis amantibus, vt integros et sanos, ita de re familiaris bene constitutos et locupletes. Ita profecto est. Non in solo, aut in lapidibus et axis aedificiorum, haeret patriae amor, sed in iis rebus, quas nobis vtendas et fruendas patria praeberet, et in bonis, quae quisque in patria habet, quorunque vel vnu et suauitate, vel caritate tenetur. Itaque vt ea quisque plura habet, ita magis, nisi sit valde improbus, amat patriam, cuius tutela tenentur: nec male vulgare proverbiu patriam ponit, vbi bene cuique est. Quo modo igitur non patriam ament maxime, qui vel suorum vel autorum bonorum habeant plurimum? Non profecto temere Romani, aliquique populi nobilis, reipublica partes omnes, magistratus, leges et iudicia, aerarium, militiam, iis modo credidere, quorum intercesserat maxime rempublicam bene geri, saluam et felicem esse, nec sine causa reprehensus est Aristoteles, quod Carthaginem insitum, magistratum locupletibus modo credendi, improbabat. Quod si bonorum

## VI

priuatorum possessio tantam habet vim ad patriae amorem, non profecto minorem tribuere debemus praecipuo iuri ac spei consequendorum honorum, praecipueque dignitati, in qua generosi animi non modo non minus, sed etiam maius bonum, quam in rei domesticae copiis, ponunt. Nec illa parua commendatio est ad caritatem, si quo in loco habcas cognationes et affinitates multas, et magnas, easque honestas, honoratas et potentes, et amicitias auitas et paternas plurimas, quae sunt nobilitatis et vetustatis bona, et monumenta maiorum, quibus cum occurrat cogitatio, et quasi species eorum, a quibus ortus sis, quibus patriam, rem, dignitatis plurimum debeas. Quomodo porro non cara sit ciuitas ea, in qua tuenda ornandaque, scias, parentes maioresque a multis actibus laborasse, pericula multa, etiam vitas et capitris adiisse? Adde, quod amor loci eius, ubi viuas, non repente venit, aut ad stabilitatem confirmatur. Longo tempore demum ita adserfunt non modo oculi, sed etiam animi locis ac regionibus, ut eorum adspexit atque vnu agre careant. Nec huius modo temporis ratio ducenda est, quod ipsis numerare possumus, valetque ad octulorum adsefactionem, sed etiam tempus maiorum duci debet, quod ad animos patriae terrae veluti firmius deuinciendos valere plurimum res ipsa docet. Nam ut alii sensus a maioribus, velut per manus traditi, ad posteros perueniunt, ita multo maxime hic sensus de patria, et amor aduersus loca ea, in quibus vitalen spiritum haurire coepimus.

Quae sunt omnia eiusmodi, ut facile intelligatur, quam bene hoc, et utiliter sit institutum, ut meliori conditione sit in honoribus petendis nobilitas. Sed nos non hanc modo nobilitatem intelligimus, quam nostra consuetudo usurpat, sed omnem illam, quam latinitas antiqua appellat, quae est in maiorum virtutibus, diuitiis, et honoribus, eatumque rerum omnium vetustate. Neque vero Romanis, ut quisque eques est, ita statim nobilis habetur: nam Cicero, ut hoc vtamur, ex fatis antiqua familia equitri erat, et tamen in nobilitate non confabatur: sed honores in republica gesti dant nobilitatem: nec modo Romae nobilitas erat, sed etiam in aliis viribus Italicae et provinciarum Romanarum. Itaque saepe apud Ciceronem commemorantur viri, *domi sua*, hoc est, in ea ciuitate, in qua viuerent, nobiles, quorum nobilitas ab honoribus, a maioribus in ea ciuitate gestis, ducebatur. Aduersus ergo talen nobilitatem ciuitas nostra semper grata fuit, ornandis, atque ad rempublicam gerendam vocandas iis, quorum familiae vetere opulentia, virtute et honore florarent; cum interea nec nouam virtutem contemerent, aut ab honoribus remouerent. Sed ea nobilitas vix alia in gente nunc maior est, vel ornatori honoribus et copiis, quam in WINKLERIA, quae a duobus prope seculis non modo copiosam et nobilem mercaturam in hac vrbe fecit, sed etiam omnibus vrbicis honoribus, Consulatu, Aedilitate, Praetura saepe magna cum laude sua, et utilitate publica funesta est. Neque modo hanc vrbicam nobilitatem habet, sed etiam maiorem illam, quae Caefaris iudicio ac beneficio datur, acceptam a Ferdinando III. qui ea a. 1510 CL. quatuor fratres cum patre donauit. Nihil dico de cognationibus et affinitatibus, per quas cum honoratissimis et clarissimis ciuitatis nostrae gentibus iungitur.

Ex hac gente fuit is, cuius memoriam commendare insituimus, CAROLVS GOTFRIDVS WINKLERVS, Vir Consultissimus, Patronus cauillarum in summis Ciuitatis nostrae iudicis nuper primarius, et Senator aedificius. Natus enim est in hac vrbe a. d. vi. Dec. a. C. 1510 CXCI. patre Ciri-  
phoro

*Stophoro Georgio*, Senatore, Centurione urbico, et mercatore primario, e *Sophia*, D. *Christiani Pakbuschii*, in Scabinatu Electorali Asefforis Senioris, filia, Auum paternum habuit *Henricum*, mercatorem, proauum autem *Georgium*, qui, vt ante diximus, cum quatuor filiis, *Benedicto*, *Andrea*, *Henrico*, et *Paulo*, nobilitatis Germanicae codicillos et insignia accepit. Pueritiae magistros cum aliis habuit doctos viros, tum *M. Iustum Gotbaldum Rabenerum*, qui post in templo Thomano Diaconi loco sacra fecit, virum elegantis et exquisitae doctrinae: ex cuius disciplina venit in disciplinam scholae Nicolaitanae, cui tum *Ludou. Christianus Crelius* praeerat, formandis ingenis in primis felix, in qua etiam *Christianum Gottlieb Schwarzenum* praecoptorem habuit, qui post doctrina sua Altorfium illustravit. Inde bene instrutus litteris ad Academicos doctores audiendos tranxit, audiuitque affidue, quicunque tum philosophiam, historiam, et ius utrumque maxima cum laude docerent. Itaque in utroque genere disciplinae honores meruit, per quos aditus ad docendum datur. Nam a. c. 1515 CXXII. Magister philosophiae creatus est, disceptauitque pro cathedra Exercitationem de potestate legum Civilium in ius naturae, et quatuor annis post a Iure Consulitk Vitebergenibus Doctorum iuris accepit, proposta et defensa Diatriba de *Fauore pauperum*. Sed antequam ficeret, proper quoque ille honos expetitur, statuit peragrande partes Europae cultiores, et visere, quae queaque haberet vifenda, et adire viros eruditissime claros, vt ex eorum sermonibus proficeret: petitisque primum Belgis et Batavis, per Britanniam adiit Franciam, eaque peragrata, per Germaniam rediit Lipsiam. Tum vero statim adulput animum ad iuris scientiam caussis agendis proferendam: quod cum faceret affidue, dextre ac fideliter, facile impetravit, vt ei etiam in Curia superiori et Consistorio regio locus extra ordinem inter Caufarum actores daretur, et quo etiam aliquot annis post ad locum inter ordinarios obtinendum proiectus est. Sed illa iuris scientia, et in caussis agendis industria, ei etiam suffragata est in petendo inter Senatores urbano loco, cooptatusque est in amplissimum Ordinem a. c. 1515 CXXIII. cui ita probauit fidem et dexteritatem, vt ei primum a. XXXVII. Magistratus iure dicundo, deinde duodecim annis post aedilius mandaretur: quo utroque ita fuisse est, vt nec diligentia in cognoscendo, nec aequitas in decernendo, nec seueritas in coercendo desideraretur.

Neque vero publice modo felix fuit, honoribus capiendis, et republica gerenda, sed etiam priuatim, matrimonio honesto et feliciter fecundo. Nam a. c. 1515 CXXVIII. duxi *Iohannam Theodoram*, virginem ornatissimam, *Io. Philippi Kuffneri*, Senatoris aedilii, filiam, quacum multos annos concordissime vixit. Eam amissit ille quidem a. XLII. ipsis Kalendis Septembribus, sed ex ea habuit solem, cuius pietate illam iacturam, quamvis magnam ac tristem, solaretur. Nam ei pepererat duas filias, *Iohannam Sopkiam*, et *Christianam Carolinam*: quarum maior D. *Friderico Lebrecht Stolzio*, Viro Consulitissimo, caufarum in Curia suprema et Consistorio Patrono, minor autem D. *Gotfrido Leonhardo Ioechero*, Viro Amplissimo arce Consulitissimo, in Scabinorum Collegio Adseffori, feliciter collocata est: et filium, *Carolum Gotfridum*, I. V. D. et in Curia suprema Consistorioque regio caufarum oratorem excellentem, et eximiae doctrinae virum. Nam *Iohannam Charitatem*, et *Ernestum Ludovicum* praematura mors in prima infans abstulit. Ultimum gaudiorum domesticorum habuit felix matrimonium filii cum ornatissima virge, *Guilielmina Dorothea*, Viri Amplissimi, *Christiani Gottlob Marbachii*, Praefecti iure dicundo in praefectura Lauchitincta. Sed id gaudium ei parum liquidum fuit, iam tum

B2f 5480

W 18

x 3185069

VIII

tum afflito valetudine, quae ei vitæ finem attulit. Atque id vnum ei non satis laetum in rebus fortunisque filii fuit.

Etenim, cum semper prospera valetudine vius esset, quae, naturali corporis robore sustentabatur: repente, ante hos quatuor annos, rem suspectam facere coepere animi defectiones, a quibus subinde tentabatur. Esi autem ita leuatus est eo incommodo, vt nihil ei postea tale acciderit: tamen aliquid maioris mali subesse indicavit, primum, sensus astutius in pedibus, cuius causa nulla appareret: quam mox angustiae pectoris consecutae sunt, quae serum circa praecordia colligi arguerent. Accedit mox pallor oris eiusmodi, qualis esse in vicio corporis habitu solet. Itaque quamquam obibat solita munia: tamen pristina alacritas plane desiderabatur. Superioris autem anni mensi Septembri aucta est vis mali ita, vt domi se contine cogeretur: nec post domo egreſſus est. Anguifae praecordiorum in dies maiores erant: tumor pedum humidus, qui ad genua usque adcederet: vnde Ascites ortus, qui anxieties perpetuas, insomnes noctes, et ultimam imbecillitatem adferret, cui nullam medelam adferre possent viri artis medicae peritissimi D. Akermannus, et Ecardus Medicus in Aula regia. Atque ita aegram vitam traxit ad x i. Maii proxime superioris, quo, haud dubia cum spe melioris vitæ, deceſſit: cuius tranquilitatem et beatitudinem tanto expetebat cupidius, quanto maiori miseriae humanae mole premebat. Nequæ enim corpus modo subtraxerat rebus humanis, per tristem morbi necessitatem, sed multo magis animum, quem et aduentantis procul mortis admotu, et Stemleri, Viri S. R. ducu et hortau, totum ad vitæ, et actæ in terris, et post mortem futuræ, cogitationem transtulerat, in cuius una spe efficax adulterus acerbitas incommodorum suorum solatium reperiebat. Quæ ei spes etiam corporis et sanguinis Christi pignore ita firmata est, vt non modo praesentis mali sensum obtundet, sed etiam ad mortis imminentis timorem depellendum valeret.

Quæ res magno etiam solatio esse debet iis omnibus, ad quos iactura Viri maxime pertinet. Nequæ enim non optime auctum est cum eo, qui bene praeparatus, et sine timore, hoc tempore, ab hac vita, hoc est, ab acerbo sensu, et graui metu malorum publicorum priuatorumque discesserit: quando etiam ille, qui spei talis, qualis est in Christiano bene meritore, expers eset, tali tempore non inuitum fe mortuum titulo sepulcri proſefiūs est:

Κάτθανον εὺη δέκων, ἅτι παῦσομαι ὃν ἐπίμαρτυς

Πολλῶν, ὥντερ ιδεῖν ἀλγειν ἢν θαύματον.

Mortuus sum non inuitus, quia iam non ero testis

Multorum, quae videre morte ipsa acerbius es.

Vos, Carissimi Cives, Viri, de Ciuitate nostra bene meriti, memoriam benigne conseruate, et res humanas omnes, quae nullam certam aut perpetuam oblectacionem et suauitatem praeflant, contemnere discite. P. P. Domin. xx. p. Trin. A. C. CCCCLVIII.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

† † †

Z f  
5480

F.K. 71.

21

# M E M O R I A V I R I

A M P L I S S I M I , C O N S V L T I S S I M I Q V E

# L I G O T F R I D I I N K L E R I

V. D O C T O R I S

A L I P S I E N S I E T C O N S I S T O R I O R E G I O  
V M O R D I N A R I I E T S E N A T O R I S A E D I L I T H I  
C I V I T A T I S L I P S I E N S I S

M A I I A . C . C I C I C C L V I I I

B V S H V M A N I S E X E M T I

C A D E M I A E L I P S I E N S I S

C O M M E N D A T A

A

E C T O R E

M I A E L I P S I E N S I S .

